



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem Varia Ervditione Noviter evoluta

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

1. Principis vigilantia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

Ethica.

I. (a) Neptunus inter fluctus & procellas sceptrum tenens, undisque & ventis imperans, repræsentat potentiam regiam, subditos pro imperio compescentem; & si orta sit seditio, auctoritate sua reprimentem. Hujus rei paradigma proponitur à sapientissimo poëtarum. 1. *Æneid.* Ibi namque offendit Neptunus maximam vigilantiam, quæ maximè in Principe requiritur, in eo præsertim dominatu, quem frequentes sive popularium, sive exterorum insultus incurfant. Mature Neptunus sensit commotam tempestatem in regno suo: ipse, inquam, sensit, non per suos, sed per suammet vigilantiam. *Ipsè alio prospiciens caput extulit undis.* Ipse vidit *Æneæ* classem disjectam toto æquore: ipse vidit Troas oppressos fluctibus, cœlique ruina.

II. (b) Notandus est animus Neptuni imperterritus ad profligandum & sedandum tumultum. Poëta canit:

----- graviter commotus, & alto

Prospiciens, summa placidum caput extulit unda.

Quomodo placidum & imperturbatum in tam horrenda tempestate?

----- tolluntur ad æthera fluctus,

Franguntur remi, tum prora avertit, & undis

Dat latus: insequitur cumulo proruptus aquæ mons.

Hi summo in fluctu pendent, his unda dehiscens

Terram inter fluctus aperit: furit æstus arenis.

Quid hîc maris Deus?

Emissamque hiemem sensit Neptunus, & imis

Stagna refusa vadis.

Hæc omnia suis oculis aspexit regnator aquarum: non ideo tamen vel animos demisit, vel caput in undas subduxit; sed constanti gravitate perstitit, & ante omnia, quis tantos fluctus concitasset, inquisivit, ut in radice malam opprimeret herbam, & in capite secaret hydram, maxima pars medicinæ est, morbi cognovisse causam. Ergo sequitur

III. (c) Prudentia & sagacitas investigandi turbarum originem. Quænam illa? Poëtam audi:

Nec latuere doli fratrem Junonis, & iræ.

Juno inquam, Juno Neptuni soror æquorea regna turbavit; nimirum

----- manet alta mente repostum.

Judicium Paridis, spreteque injuria formæ.

Odium,

(a) Vigilantia Principis. (b) Fortitudo Principis. (c) Prudentia Principis.